Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1744)

QUÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 29. Martii.

M. RENATO CHAUVEL, Doctore Medico, Præside.

An Alimenta, quæ alvum laxant, ad tuendam Sanitatem accommodatiora?

MULTIPLICIBUS, quæ nostrum corpus componunt, partibus indoles competit diversa. Vulgata est earum in similares & dissimilares distributio; minùs tamèn æquâ ratione, quàm usu stabilita. Quidquid sit, dùm omnes legitimis, temperie, conformatione & nexu præditæ, nativo calore debitè perfusæ, proprias actiones variè & secundùm animæ regimen exercere valent, naturalem quoquè censentur eam obtinere constitutionem in quâ ponitur sanitas: cujus multi gradus existunt: nec ullus esset status neuter, aut quisquam unquàm ferè sanus haberetur, si hæc in uno staret puncto. Illæ quidèm actiones in suas dividuntur & subdividuntur classes, sed earum velutì fundamentum est nutritio, actio similaris, simplex & communis, quæ dùm in parte quâlibet & in quâlibet partis particulâ caloris coquentis, assimilantis & expellentis ope perfectè editur, facilè suam reliquis integritatem communicat. Undè nam aliundè sanguis & spiritus ad vitalem & animalem actionem suppeditarentur, quàm ex Alimento & aëre, nutritioni primò subjectis, & requisitam in eâ recipientibus attenuationem? Aër cùm purus est tenuis & temperatus, paucâ tùnc indiget mutatione. Non ità verò Alimentum, quod cùm non sit omninò simile, & per contraria debeant expelli ea, quæ novæ formæ introductioni adversantur; huic idcircò triplex potissimùm & insignis alteratio perferenda, antequàm in corporis abeat substantiam, χύλωσις, αἱμάτωσις, & ὁμοίωσις. Harum quælibet cùm ad terminum tendit, coctio; eum assecuta, prioris mixti corruptio, novi tàm alibilis humoris, quàm excrementitii generatio censenda. Nèc unius vitium emendatur alterâ. Quarè plurimi refert ad valetudinem eligatur cibus, qui coquenti calori facilè cedat, abeatque primò in chylum laudabilem, mòx cessurum in sanguinem, qui benè alat, calorem foveat: nec ullius humoris aut excrementi crassitie & cunctatione corpus malè afficiatur.

CALORIS nativi & primigenii humoris consumptio, seù certa interitûs pernicies vitari arte non potest; plùs minùs tamèn retardatur blandiori & familiari alimento. Verùm vix paucos longa minuit senecta, & sera μάρασμος extinguit. Plerosque omnes morbida & lethea colluvies acerbo mergit funere. Frigida quippè & crassiora Alimenta pituitam proferunt crudam & albugineam, quæ rigorem ἀπύρετον excitat, & in quodam colico dolore rarissimo, Rutæ oleo educta, in ipso exitu frigida sentitur. Crassior itèm gignitur sanguis, qui ictu hominem prosternit, & ἀποπληξία subitò enecat, vel impeditâ diapnöe flammatur & putrescit, febrímque synochum parit. Sanguis interdùm alicubì putrescens & in pus degenerans, si confertìm erumpat, animi deliquium, si per partes cor attingat, periodicam febrim exhibet. Putridum aquæ & terræ χεῦμα cor impensè refrigerat, undè pulsus parvus & languidus, & impeditâ ἀναδόσει rigor, donèc illud nativi partium caloris contrarietate & pugnâ excandescat. At verò crassius gluten totum corpus durum & stupidum quasi corneum & sensûs expers reddit. Tertiæ coctionis sordidum excrementum residuum cutim obstruit & scabie fœdat. A secundâ superstes serum salsius, vel ex salso amarescens seu fel, si in parte inassuetâ hæserit, caloris & siccitatis excessu rodit, ulcerat, & omninò putrefacit: sic ut partis substantia deficiat. Serum spissum & phlegmaticum præter œdemata & scirrhos, durosque abscessus thecâ conclusos, qui glandulas mentiuntur, etiàm calculos generat in vesicâ albos, flavos, cinereos, in renibus rubros, in pulmonibus & articulis gypseos, in cysti felleâ nigros, in corde flavos & rubros. Limus seu fæx acida sanguinis scirrhos dolentes ulcerosos & carcinodes gignit. Demùm stercora cunctantia fumis & ichoribus anorexiam, cordis παλμὸν, cephalalgiam, & vertiginem excitant: imò mole suâ flatus cohibent, & interdùm, non secùs ac urina vesicam aut edulia ventriculum, sic intestina distendunt, ut fibræ contrahi non possint, & infrà nihil exeunte homo miserè torqueatur, donèc convulsus, singultiensque alvi onera per os reddat, & exanimetur. Cur hæc & alia mala contingunt? causa satis obvia est: peccatur in Alimentorum delectu.

DISCREPANT inter se Alimentum, medicamentum, & venenum; quòd Alimentum plùs quàm agat, patiatur; medicamentum plùs quàm patiatur, agat; & venenum denique fortiùs agendo viventis temperiem protsùs evertat. Alimenta vix invenies ulla quæ medicamentosa non sint, & dùm alterantur ipsa quoque non alterent. Nonnulla medicamenta quid alibilis, habent, ut cassia, & manna diacrydio non adulteratum. Quædam modicè sumpta non solvunt alvum, quæ longiùs hausta, hypercatharsi perimunt. Quædam exiguâ mole alvum proritant, quæ majore lethalia sunt, ut præcipitatus hydrargyrus. Quædam scrupulosè plurimâ aquâ incocta, & in eâ percolata alvi citandæ vim relinquunt, quæ præsentissima venena sunt, ut arsenicum. Quædam exiguâ quantitate primò, mox majore à natura superantur, ut cicuta, quam anus Attica ad manipulos usquè confecit, & opium quo Turcæ familiaritèr utuntur ut Veneris incitamento; quòd calorem intrò cogat, & sopitis aliis sensibus, venereus vigeat. Nihil venenum est nisi actu aut frigore sideret, aut consanguineum lethi soporem, gelidúmque sudorem excitet, ut dira barbato Magistro cicuta, Mandragora alia quam Dioscordis, Acesiæ vel Hermocratis, opium, aconitum, & serpentum omne genus: aut spiritus exhauriat ut hypercatharticum: aut vehementiùs igniat instar ferri, ut escharoticum: aut siccitate acri & simùl acidâ rodat & perforet ut cathæreticum. Multa alerent si pronam & præcipitem alvum non redderent. Multa, si coquerentur & distribuerentur profundissimo somno & validissimo exercitio, horum εὐεξία periculosa, mox solvenda esset. Athletæ qui coliphio, carnibus suillis & bubulis vescebantur, minuebantúrque si parem aliarum carnium molem sumpsissent, tauricè, sed non rectè valebant. Sic strictè, Alimenta non sunt, nisi quæ per os assumpta coquuntur, distribuuntur, & assimilantur.

INTER ea principatum obtinent quæ nec inquinamentis, nec excrementis obstructionum, tumorum, abscessuum, ulcerum, febrium, & aliorum affectuum materiam suggerunt, qualia per se & modicè alvum laxantia censeri debent: humida quippè & moderatè, vel calida, vel frigida, dulcia, insipida, vel ex acido dulcia. Calida, ut panis ex tritico & secali confectus, juscula, jurulenta, elixæ carnes, præsertìm pulli, gallinæ non ità veteris, caponis altilis, & Meleagridis seu galli Africani. Frigida ut pisces molles, inter quos Lingulaca Ictyophagis probatissima; & fructus quidam æstivi vel autumnales, nimirùm melones, cerasa, pruna, mala armeniaca, persica in Perside venenosa, mora matura, uvæ duracinæ & succosæ, Ficus Athletis usitatæ, antequàm Pythagoras eos ad carnes transtulisset, poma, & pyra, grossulæ ribes dictæ, limones, aurea malavulgò arantia: hæc per æstatem gratissima adversùs sitientem caniculam marcentium corporum solatia; miraríque subit naturæ providentiam, quòd ardente Sirio, ventis Ethesiis Aquilonaribus perflet aërem, & fugaces fructus suppeditet. Romani siticulosi & biliosis stomachi morbibus obnoxii, ut salubres æstates peragerent, nigris prandia moris finiebant, quæ ab iis erant inchoanda, bilis minuendæ & avertendæ gratiâ. Lactucis & malvis utebantur ad molliendam alvum, inuitúmque sine honore blitum edebant, hoc solo quòd ipsam benè dejiceret. Græci præter malvam, olera ex oleo, garóque primis mensis assumebant, senésque suppressam Hispanicis prunis, mercuriali, brassicæ succo & therebentinâ solvebant. Tanti momenti est ad sanitatem laxare alvum, ut unum sit ex ὑγιεινῆς præceptis εὔπεπτα δυσπέπτοις, liquida solidis, & lubricantia astringentibus præmittantur, nisi fusior ipsa reprimenda sit.

VIX quisquam tam perfectè sanus est, ut partem corporis non imbecillam habeat, cui sempèr prospiciendum. Hæc tamdiù in tuto erit, quandiù nihil superfluet. Est quidèm in homine sano clyster naturalis, fel per meatum cholydochum appellens ad ἔκφυσιν, sed inutilis cùm duriora ciborum onera intestina distendunt. Nec exercitatio ritè suscipi potest, antequàm alvus exoneretur, ne quid ex eâ vehementiâ caloris ad cutem evocetur in tubercula, abscessus & scabiem erupturum: verendúmque ne plethoricum & cacochymum corpus vasis ruptura interimat, aut tensiva phlegmonodes vel ulcerosa lassitudo divexet. Qui pravo utuntur alimento quo intestina, aliique ductus impediuntur, pharmaciam ægrè ferunt, quia ὑγρὰ debent esse corpora quæ purgantur; & purgationes, ut interdùm necessariæ sunt, sic ubi frequentes periculum afferunt; assuescit enim non ali corpus, & ob hoc infirmum erit, cùm obnoxia omnibus morbis maximè infirmitas sit. Nec in prosperâ valetudine adversæ præsidia consumenda. Nè sanus fiduciâ secundæ valetudinis opprimatur, utatur cibis laxantibus. Dietæ leges non servanti, interdùm unâ die fluere alvum pro valetudine est, atquè etiàm pluribus, dùm febris absit, vel intrà septimum diem conquiescat; purgatur enim corpus, & quod intùs læsurum erat, utilitèr effunditur. Sed spatium periculosum est, interdùm enìm tormina & febriculas excitat, virésque consumit: interdùm etiam evenit ut id pluribus diebus neglectum, curari difficillimum sit. Cæterùm aliquid consuetudini, tempori, regioni, & ætati concedendum, cùm deterior aliquandò, sed suavior cibus, insuaviori, licèt meliori præferendus sit. At nec morbum unquàm tutiùs præcavere, nec sanitati consulere meliùs poteris, quàm si utaris Alimentis, quibus alvus reddatur libera.

Ergò Alimenta, quæ alvum laxant, ad tuendam Sanitatem accommodatiora.



Asserebat Parisiis JOANNES-MARIA BERTHOD, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1691.